



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

III. Primum Calvinisticum Concilium Pictavii in in horto quodam
celebratum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

volutus ad communes secū preces inuitavit: quas magna vehementia & devotione, vt videbatur, recitabat. Quia vero facile intelligebat ad institutum suum perficiendum non tantum hominum de schola operā, sed etiam magnorū & in Reipublicæ administratione constitutorum auctoritatem requiri: primam machinam Renerio Episcopalis sedis Vicario generali ad mouendam statuit.

II. Quum ergo apud hunc die quodam vnā cum alijs litteratis hominibus in horto diuersaretur, & religionis, ac Lutheri & Zuinglij opinio nū iniecta esset mentio (neque enim tum doctis tantum, sed etiam indoctis, & sæpius quidem inter pocula de religioni disputare solenne erat) Caluinus bene ad hanc rem præparatus, præcipua religionis capita explicare aggressus, tandem sermonē suū omnem in disputatione de Missæ sacrificio cōsumsit. Inter alia querebatur, Lutherum plagam hanc, quam in crustare potius quam sanare conatus sit, è mala fere peiorem fecisse. Et non aliter quam ijs qui per noctis vmbra iter faciunt, velut scintillam tantum exiguam apparuisse, ac viam leuiter tantum & perfunctorie commonstrasse. Inde factum, vt multos Papatu errores ferendo fouerit. Atqui remedijs multo asperioribus & cauterijs opus esse: & Romanæ Ecclesiæ idololatriam (sic diuina appellabat officia) vno impetu esse prosterendam atque euertendam, & pristinae integritati (suas imaginationes intelligens) omnia restituenda. Ante omnia vero rā Pontificia quam Lutherana profligata Missa, Cœnam Domini eiusque ritus ad pristinae formæ amissim exigendos esse. Barbarum quippe esse & impium, Christum è cœlo detrahere, & ligatum quasi & compeditum per Sacramentum hoc traducere, ac tandem manducare. Talem quippe manducationem spirituale non esse, nec per fidem fieri. Quod eò dicebat, vt inter Lutherum & Zuinglium mediam quandam viam ingrederetur, nec corporis realitatem omnino tollere videretur. Atqui si corporalitas à corpore tollatur, vbi, quæso, realitas illa permanebit? sit quomodo realitas illa subsistere poterit, quum Caluinus dicat, Christum secundum humanam suam naturam in cœlo manere: panem vero & vinum nihil aliud esse quam arrham & sigillum, quo omnia à Christo nobis promissa confirmantur? Quamuis autem Caluinus primum se huius doctrinæ de veto Cœnæ Dominicæ intellectu, & vera Christi præsentia, auctorem iactet: certum tamen est hæresin hanc à VViclephi schola & libris eum hausisse; de quo

supra satis multa diximus: vt etiam ex ijs colligi potest quæ in Actis Concilij Constantiensis & apud Prisbramum, qui VViclephianam eiecit hæresin, leguntur. Discipuli deinde aliquot Caluinianum carnis Christi per fidem manducandæ modū commenti sunt, contra magistri auctoritatem negantes materialis carnis communionem per S. Spiritus irradiationem animæ impertiri posse, & similitudinem à Sole, qua Caluinus vtitur, irridentes. In vniuersum docent, realem Iesū Christi substantiam, non vero corporalem, animæ infundi & communicari. Quis autem non videt inuisibilem hanc substantiam Platoniarum idearum similem esse? Alij nouam nescio quam transsubstantiationē confingunt, sic vt substantiæ panis, substantia corporis Iesū Christi adiungatur: quæ tamen iam non Transsubstantiatio, sed Vltra aut Cōsubstantiatio dicenda erit. Et hi à Lutheranorum opinione non multum absunt. Alij explosa Transsubstantiatione, nescio quam nouam, & non minus re quam nomine agrestem & absurdam Transconditionationem admittunt. Ipse certe Caluinus, de Sacramento hoc loquens, vocibus his, irradiatione, traiectione, defluxu, destillatione, inspiratione, &c. frequenter vtitur: cuiusmodi multæ aliæ phrasæ apud eundem & alios occurrunt. Alij concedunt animam & corpus nostrum corpore Iesū Christi nutiri: non quod corpus ipsum reuera manducaretur, sed per fidem & imputationē. Alij manducationem non necessariam esse aiunt; & manducare nihil aliud esse quam credere. Sunt etiam qui dicant, etiam si spiritū & virtute carnis Iesū Christi participemus, non tamen ipsa participare carne. Omnibus fere idem accidit, quod ijs qui novos fontes fodere cupiunt. Vt enim hi effossa altius aliquanto terra, iam hic, mox alibi ebullientis aquæ scaturiginem deprehendunt, quæ arenam modo in hanc modo in illam partem cispellat; sic quanto altius Sacramentarij cloacam hanc suam fodere conati sunt, tanto plures ac fœdiores opiniones erupisse videmus.

In horto primi nostri parentes decepti fuerunt. In horto etiam pauci hi, quos prius diximus, à Caluino sunt seducti. Esi enim Caluinus nequaquam ea dicendi qua scribendi gratia ac vi polluerit, tāta tamen in dicendo vehementia vtebatur, vt auditoribus non morosissimis facile quæ vellet persuaderet, in horto illo, inquam, primum Caluinisticum celebratum fuit Concilium, quod Gallia postea tanto constitit. Et interfuerunt Antonius Duguius

Dignius Professor Academicus, Philippus Veronius Episcopalis sedis procurator, Albertus Babinus, & Ioannes Veronius, Pictavienses. Præcipua vero tum Caluino, ut diximus, disputatio fuit de real præsentia corporis Christi in Sacramento. Hic enim lapis ille est offendiculi, ab ipso tam ad Catholicos quam Lutheranos supplantandos obiectus. Tætöpete vero disputatio eius præsentibus placuit, ut ea quæ dixisset, scripto consignata sibi tradiderentur. Quod ille non grauate fecit. Post hæc pauci illi in locis secretis & speluncis, & per pagos etiam & villas frequenter conuenerunt: quibus mox accessit Ioannes de Boisseau Bordorius, causarum patronus; & alius quidam Vortumianus appellatus. Tandem etiam Carolus Lesagus scæ huius nomen dedit. Ex his tamen Bordorius, homo valde doctus, XL annis post Calvinismo repudiaro, in Catholica religione vitam elausit, quum LXXX ætatis annum pæne attigisset. In locis illis secretis prima Calvinistica Cœna celebrata fuit, quam Manducationem postea appellauerunt, ut sequenti libro ostendâ. Exhortatione prius à Caluino factâ (sic enim coitiones suas initio nominabant) & implorato diuini Spiritus auxilio, ut gratiam suam super paruum illum gregem in nomine ipsius congregatum effunderet. Deinde lecto è S. Scriptura capite aliquo, non ipse solum ambigua explicabat, vel potius magis inuoluebat: sed aliorum etiam sententias, tamquam in priuata disputatione exquirebat. Et hæc quidem sacra ista celebrandi forma aliquam diu postea in vsu fuit.

IV. Caluinus interim fertum sibi in igne esse intelligens conatus suos omni arte promouere saggebat. Quid multis: Tribus tandem è se ceteriori hoc conuenticulo pertransiit, ut doctrinam hæc nouam per Fræciam, apud eos præsertim qui aliquem Lutheranismi gustum haberent, disseminandi, & ut iactabant, miserè deceptis Pæstis oculos aperiendi prouinciam susceperint. Hoc enim nomine eos vocabant qui antiquam, & per manus ab Apostolorum que successoribus traditam Fidem sequuntur. Consilio ergo habito decretum fuit, ut Vernouius Pictauij & in vicino agro animas lucrifaceret, vel perderet potius: dum reliqui in longinquioribus locis venantur. Ad sumtus vero eam in rem modicum pecuniæ collectum fuit. Duo illi ut securitati suæ consulere, noua sibi nomina (vri mos ferè est sectarijs) sumserunt. Eorum vnus *Le bon homme*, id est, Bonus vir; alter *Ramasseur*, id

est, dispersi gregis recollector dici voluit. Et ille quidem passim oberrans, in conuenticulis tam præces, quam Manducationem ad nouam illam formam, quæ à viro illo Dei, ut iactabat, tradita erat, celebrabat. Et quia hic antea in Pictaviensi Academia Institutiones in Ministraria (sic tum Iuris illud Auditorium vocabatur) prælegerat, Caluinus & alij vix eum alio quam Ministri nomine appellabant: ex quo factum puto, ut Calviniana scæ disseminatores & noua doctrina Prædicatores, Ministri dici cœperint, & adhuc dicantur. Sed hæc de re alibi latius. Recollector ille viginti fere annos in colligendis, vel ut verius dicam, dispergendis Christi ouibus consumpsit: & quamuis homo esset pæne illiteratus, atque ineptus, quoties tamen in Ecclesiasticos inuehebatur, tamquam Pericles aliquis tonare & fulgurare videbatur. Caluinum in omni sermone iactabat, & scripta quædam eius nõ secus ac Sibyllinos libros essentabat. Hi tres, ut Victor Caierus inquit, Caluini mandatorum fuere exsequutores, Galliæ perturbatores, & primi schismatis auctores. Ecce tibi eorum maiores, qui Mundi Reformatores audire volunt. Quid agitis miseri Theristæ atque Iri? An Aiactis & Achillis similes esse vultis? Quid vos, qui heri atque hodie tamquã fungi nati estis, genealogiam vestram ex alto repetitis, & ad ipsos Apostolos referitis? Sed recte habet. Infamis vestræ originis testem victorem Caierum habemus, eum qui celebris olim inter vos conuicator fuit, quem vestrum olim tantis ornastis laudibus, nunc nostrum omnibus modis infamare conamini: illum, inquam, qui nouit quinam vos sitis, & vnde sitis, cui denique vestra omnia satis superque nota sunt atque explorata. Scio equidem quid vobis doleat: nempe hunc exquisitæ eruditionis hominem totum in eo esse, ut quæ tam exemplo quã doctrina olim destruxit, nunc restauret. Hic de Recollectore hoc vestro loquens, ait, eum pagos & villas per Pictonas, Santonas & Engolismensem agrum obijisse, nec quidquam intentatum reliquisset. At Bonus ille vir, de Caluini Consilio, in Tolosana vrbē latibulum sibi quæsiuit, non ignarus eò ad capiendum ingenij cultum à Nobilitate liberos magno numero mitteri. In hac certe Vniuersitate ab ijs qui emergere cupiunt, prima fere dignitatum fundamenta iaciuntur.

V. Vernouius, quia notior erat quam ut diu latere posset, Pictauij mansit, ut inter Academicam iuuentutem, ad credendum parua facilem, & no-